



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Bambergenses S. Henricvs Imperator S. Kvnegvndis
Imperatrix S. Otho Episcopvs**

Gretser, Jacob

Ingolstadii, 1611

XLI. De muliere mortua, quam ad cœmeterium ipse humeris suis portauit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41527

*De muliere mortua, quam ad cœmeterium
ipse humeris suis portauit.*

CAPVT XLI.



Accidit ergò die quadam æstu meridiano, quando intus in vmbraculis & refrigerariis suis soporatur homines; Episcopus, accito cubiculario, more suo, ad hospitale pauperum pergebat. Dum autem iret fœtor inhumati corporis non procul à via de sub vrticis nares eius tetigit. Substitit ergò, & cubiculario suo digito suo locum demonstrans; sentio ait, tanquam illic corpus humanum iaceat. Pergente puero, sequitur Episcopus; diligenter querunt, ac tandem inter herbas & siluam stantis vrticæ proiecum ad sepem cadauer inueniunt mulieris, lacero vultu, & ab auibus comesto. Episcopus conspecta miseria, ferit pectus, sortem deslet humanam, flagellum diuini confitetur iudicij. Postremò seipsum culpabilem, se reum addicit, qui ea die, quæ hæc fame periiisset, multis panibus abundaret.

*Reperit S. Otho
cadauer mu-
lieris.*

Dehinc, dicta breuiter oratione pro anima iacentis, manum mittit ad corpus: cubicularium hortatur leuare secum. At ille; Noli, ait, Domine, noli sacras manus tuas inquinare.

Curram & vocabo alios, ac sepeliemus eam. Cui Episcopus;

Abstine, inquit, *ut sororem meam*, filiam Adæ, imò filiam Ecclesie, tangere despiciam. Portabo mortuam, quam viuam pauiſſe debueram. Sed tu, rogo, iuuua me, certus, quod à Deo, & à

*Corpus ex ani-
me in humeros
sublatum ipse
S. Otho ad se-
pulturam de-
fert.*

me quoq; mercedem accipias. Ille autem, etſi horrore pariter & fœtore propelli potuiſſet, tamen dum luçantem & laborantem, ipsiq; oneri humerum iam aptantem vidit, vicit semetipsum; & clausis naribus, auerſo que vultu dorsum inuisæ subiicit sarcinæ, & cum Episcopo communicato labore, ad cœmeterium cadauer fœtidum deportauit, cantante ac flente Sacerdote; *Heu mihi Domine, quia peccaui nimis in vita mea, quid faciam miser? ubi fugiam, nisi ad te Deus meus? miserere mei, dum veneris in nouissimo die.*

d 3

Do